Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8269
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Denique cum in foro magnum esse dicatur, habere alicuius Doctoris etiam sine lege loquentis decisionem in terminis controuersae quaestionis traditam, teste Gomez. in §. Aeque. n. 14., inst. de action: quem Wesenb. cons. 19. n. 63. & cons. 24. n. 13. cum alijs Doctorum dictis refert, ideo pro euidentiore huius sententiae quam sequimur confirmatione, adducimus Paris. cons. 23. n. 73. Vol. 1. Vbi scribit, quia in Marchionatu feudali plura extarent bona allodialia ab omnibus antecessoribus Vasallis pro indiuiso possessa, ideo ne diuisio inter Marchionatum & allodialia bona inducatur, pro conseruanda ista Vnione & communione huius Marchionatus inuestituram ei ad quem allodialia sint deuoluta denegandam non esse, cum multa Vnionis causa appareant concessa, quae alias non concederentur.

Item Alciatus respons: 162. n. 13. ad fin. et n. 14. Vbi aperte respondit, quoniam ex inuestitura appareat, quod inter Marchionatum & certa quaedam feuda inseparabilitas perpetua esse debeat, ideo ista feuda esse Marchionatui connexa & secundum legem Marchionatus iudicari debere, ut sicut Marchionatus ad foeminas transitorius sit, ita quoque feuda ei coniuncta ad eundem, finita ultimi possessoris Vasalli agnatione, transeant.

Quod